

referimus, non autem ad tertiam, quia cogitationis ille actus non accidentaliter, sed essentialiter animam perficit. Quatenus vero eadem anima nostra accidentalibus cogitandi modis ulterius perficitur, nihil obstat, quo minus tertia etiam significatio vivere dicatur, sicuti colligitur e superioribus.

## EXERCITIO L V.

*Ex corporis corruptione animæ interitum non sequi.*

1. Postquam sic Animæ humanæ sive Mentis immortalitas seu perpetua vita demonstrata fuit, sive vitam primo (quod rarum esse fateor) sive secundo, sive tertio modo (qui ambo satis sunt usitati) capiamus, supereft uti causas præcipuas indicemus, ob quas vera animæ immortalitas non potuerit clarè satis agnosci à pluribus, illis enim refutatis hęc firmius adhuc stabilita erit, evidentiusque ab ipsa anima percipietur.

2. Et tres quidem causas potissimas invenio, quarum prima est, quod corpus humanum intereat, cui corpori cùm anima nostra tam arcte juncta sit, ut famen, sitim,

A a 4 dol-